Quelle: http://manuscripta.at/?ID=26042
Copyright: Admont, Benediktinerstift

illa per eandem viam sequi volens, non vales clamat: Trahe me post te. Quod est dicere: Da ut … tua vestigia per hanc viam sequar, per quam ad gloriam processisti. Via domini est prospera mundi non appetere, et aspera pacienter pro eo pati. Per hanc viam ipse ingressus est ad gloriam. Per hanc viam nemo graditur nisi trahatur, ut scriptum est: Nemo venit ad me nisi pater meus traxerit eum. *Quod duobus modis trahimur a Christo et duobus modis impellimur.*

Deus nos ad se duobus modis trahit et duobus modis impellit. Trahit nos promissionibus dulcedinis superne patrie; impellit nos minis ignis gehenne. Trahit nos quoque diversis donis; impellit nos variis flagellis. Sic Moyses traxit populum promittendo regnum diviciarum; impulit Pharao verberibus.

Quosdam trahit deus nolentes, cum eos gratia sua prevenit inspirando ut bonum velint; volentes subsequitur iuvando ut bonum possint. Ergo gratie est cum prevenimur ut velimus; doni est cum iuvamur ut possimus. Arbitrium utrum sequi velimus. Libertas si sponte sequimur. Captivitas si sequi abnuimus. Fragilitas si sequentes relabimur. Constantia si sequendo non deficimus. Et hoc non nobis sed gratie ascribimus. Premium eternum gaudium. Notandum autem *quod ecclesia in fide et opere perfecta dicitur sponsa, digna coronari et in thalamo glorie collocari. Imperfecti autem adhuc in contemplativa vita dicuntur amici; imperfecti in activa vita amice; adhuc autem rudes in fide dicuntur adolescentule.* Dicit ergo ecclesia: Trahe me: per gratiam post te imitandum. Dicit adolescentulis, id est ecclesie eius filiis: Curremus et nos fide et dilectione in odore unguentorum tuorum, id est in consideratione miraculorum tuorum vel in fama operum tuorum vel in fide eternorum bonorum.

Vox sponse: Introduxit me rex in cellaria sua. Tradunt Hebrei quod Salomon hunc librum in honore filie Pharaonis fecit, cui et incomparabilem domum edificavit. In quam secundum hystoriam postquam eam introduxit, thesaurum suum ei ostendit et de cellariis varia pocula obtulit. Cellarium dicitur quasi celans vinum. *Allegoria hec est.* Ecclesia a Christo per gratiam in sacram scripturam introducta dicit: Introduxit me rex in cellaria sua. Cellaria, in quibus varii potus servantur, sunt libri sacre scripture, de quibus varie sententie sicientibus iusticiam propinantur. In hec cellaria Christi sponsa introducitur, quando ei sensum aperit ad intelligendum scripturas. Christus autem proprie rex dicitur, iuxta quod ipse ait: Data est mihi omnis potestas in celo et in terra. Hic solus potest in scripturam introducere, qui solus potuit VII signacula solvere, que erant: Incarnatio eius, Nativitas, Passio, Inferni spoliatio, Resurrectio, Ascensio, Futurum iudicium. *De VII signaculis.* *Adolescentule, scilicet rudes adhuc in fide, dicunt sponse, id est ecclesie in fide perfecte:* Exultabimus et letabimur in te, scilicet Exultabimus in corpore, scilicet operando ea que precepta fuerunt: vigiliis, ieiuniis, elemosinis; et letabimur in mente, videlicet ea operantes que spiritualia sunt: legendo, orando, predicando. Et hoc in te, quia hec opera non valent nisi in catholica ecclesia. Memores uberum tuorum. Id est in memoria habentes doctrinam utriusque legis, que sunt ubera tua, quam insuximus, ut domino in sanctitate et iusticia serviamus. Et hoc super vinum, id est super secularem sapientiam, que docet nos laudem hominum querere et terrenas divicias congregare. Ideo: Recti diligunt te: Ecclesia que de Christo recta sapiunt, doctrinam tuam diligunt. *Vox sponse:* Nigra sum sed formosa, filie Ierusalem, sicut tabernacula Cedar, sicut pelles Salomonis. Hic ad litteram datur intelligi quod nobiles femine in Ierusalem ad reginam cum muneribus